

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

LENT TERM, WEEK 6

1. (i) Translate:

A reply to Caecilianus, who first asked for a loan which he did not mean to repay, and then tried to borrow a plate, which he did not mean to return.

mille tibi nummos hesterna luce roganti
in sex aut septem, Caeciliane, dies,
“non habeo” dixi: sed tu causatus amici
adventum lancem paucaque vasa rogas.
stultus es? an stultum me credis, amice? negavi
mille tibi nummos: milia quinque dabo?

(Martial)

(ii) Translate:

To a schoolmaster next door who started his classes before cock-crow and disturbed the sleep of the neighbours.

quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
invisum pueris virginibusque caput?
nondum cristati rupere silentia galli:
murmure iam saevo verberibusque tonas.
mitior in magno clamor furit amphitheatro,
vincenti parmae cum sua turba favet.
vicini somnum non tota nocte rogamus:
nam vigilare leve est, pervigilare grave est.
discipulos dimitte tuos. vis, garrule, quantum
accipis ut clames, accipere ut taceas?

(Martial)

(iii) Translate:

To another poet, who pretended to have read the whole of Martial's latest book.

explicitum nobis usque ad sua cornua librum
et quasi perlectum, Septiciane, refers.
omnia legisti. credo, scio, gaudeo, verum est.
perlegi libros sic ego quinque tuos.

(Martial)

2. Prepare:

Body language in oratory is everything.

pectus ac venter ne proiciantur observandum: pandant enim posteriora et est odiosa omnis supinitas. latera cum gestu consentiant: facit enim aliquid et totius corporis motus, adeo ut Cicero plus illo agi quam manibus ipsis putet. ita enim dicit in Oratore: "nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans et virili laterum flexione." femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, et usitatum est et indignantes decet et excitat auditorem. idque in Calidio Cicero desiderat: "non frons" inquit "percussa, non femur." quamquam, si licet, de fronte dissentio: nam etiam complodere manus scaenicum est et pectus caedere. illud quoque raro decebit, cava manu summis digitis pectus adpetere si quando nosmet ipsos adloquemur cohortantes obiurgantes miserantes: quod si quando fiet, togam quoque inde removeri non dedecebit.

in pedibus observantur status et incessus. prolato dextro stare et eandem manum ac pedem proferre deforme est. in dextrum

incumbere interim datur, sed aequo pectore, qui tamen comicus magis quam oratorius gestus est. male etiam in sinistram pedem insistentium dexter aut tollitur aut summis digitis suspenditur. varicare supra modum et in stando deforme est et accedente motu prope obscenum. procursio oportuna brevis moderata rara conveniet: iam et ambulatio quaedam propter inmodicas laudationum moras, quamquam Cicero rarum incessum neque ita longum probat. discursare vero et, quod Domitius Afer de sura Manlio dixit, "satagere" ineptissimum: urbaneque Flavius Verginius interrogavit de quodam suo antisophiste quot milia passum declamasset. praecipi et illud scio, ne ambulantes avertamur a iudicibus, sed sint obliqui pedes ad consilium nobis respicientibus. id fieri iudiciis privatis non potest, verum et breviora sunt spatia nec aversi diu sumus. interim tamen recedere sensim datur. quidam et resiliunt, quod est plane ridiculum. pedis suppositio ut loco est oportuna, ut ait Cicero, in contentionibus aut incipiendis aut finiendis, ita crebra et inepta est hominis et desinit iudicem in se convertere. est et illa indecora in dextrum ac laevum latus vacillatio alternis pedibus insistentium. longissime fugienda mollis actio, qualem in Titio Cicero dicit fuisse, unde etiam saltationis quoddam genus Titius sit appellatum.

(Quintilian)